

N° XII.

De moneta, in civitate Baionæ, cudenda.

A. D. 1423.

An. 2. H. 6.
Vasc. 2. H.
6. m. 13.

HENRICUS, dei gratiâ, rex *Angliæ & Franciæ*, & dominus *Hiberniæ*, seneschallo nostro *Vasconiæ* & constabulario nostro *Burdegaliæ*; qui nunc sunt, vel qui pro-tempore erunt, salutem, quibusdam certis de causis, nos & consilium nostrum moventibus, vobis mandamus, quod, omni dilatione postposita, in civitate nostra *Baionæ* talem monetam, & tanti ponderis, & valoris, qualis *Burdegaliæ* & alibi in ducatu nostro prædicto utitur, fieri & cudi, ac ulterius, pro commodo nostro, inde ordinari faciatis, prout melius fore videritis faciendum, & si causa sufficiens & rationabilis subfuerit quare præmissa fieri non debeant, vel possint, tunc nobis & dicto concilio nostro, de causâ hujusmodi, si quæ fuerit, sub sigillis vestris, distinctè & apertè, ac indilatè, significari & constari faciatis; & hoc nullatenus omittatis. Teste rege apud *Westmonasterium*, vicesimo tertio die octobris, anno regni nostri secundo. Per breve de privato sigillo.

RYMER, tom. 10. p. 313.

N° XIII.

Pro majore, burgenfibus, & communitate civitatis Baionæ, de moneta cudenda.

A. D. 1431.

An. 10. H. 6.
Vasc. 10. H.
6. m. 10.

REX omnibus ad quos &c. Salutem. Monstraverunt nobis, & concilio nostro, dilecti legeri & subditi nostri, major, burgenfes, & communitas civitatis nostræ *Baionæ*, qualiter indigentia grandis & monetæ nostræ carentia non modica habetur in eadem, eo quod, occasione guerræ, nulla plata sive massa argenti ad cunagium nostrum *Burdegaliæ*, ibidem cudenda, dari potest, per quod moneta de diversis regnis & patrijs (videlicet)

(videlicet) de regnis *Castellæ, Portugaliæ, Aragoniæ, & Navar-* A. D. 1438.
An. 10. H. 6.
Vasc. 10 H.
6. m. 10.
ræ, & de pluribus aliis regnis, currit communiter ibidem, in
 nostri ac subditorum nostrorum prædictorum dampnum non
 modicum, & gravamen, unde nobis humillimè supplicarunt,
 sibi de remedio congruo in hac parte providere, nos præmissa
 considerantes, de assensu & assensu concilii nostri prædicti,
 concessimus dilectis nobis, inhabitantibus prædictam civitatem
 nostram *Baionæ,* quod de cætero, quamdiu nobis placuerit, mo-
 neta auri & argenti infra castrum nostrum ibidem talis fiat, &
 de hujusmodi alia & pondere qualis infra castrum nostrum
Burdegaliæ facta existit; duntaxat id sine præjudicio nostri &
 aliorum fieri possit, & quod ipse, qui magister monetæ in civi-
 tate nostra *Burdegaliæ* existit, sit magister monetæ nostræ in
 dicta civitate *Baionæ,* & quod iidem inhabitantes in dicta civi-
 tate nostra *Baionæ,* tempore prædicto durante, habeant & per-
 cipiant omnia exitus, proficua, & commoditates de monetâ, in
 dicta civitate *Baionæ* faciendâ, provenientia, ad eâ melliori
 modo quo sciverint, pro defensione & salvâ custodiâ prædictæ
 civitatis nostræ *Baionæ* exponenda & applicanda, proviso sem-
 per, quod prædicti, major, burgenfes, & communitas, omni-
 modo onera, quæ nos, pro factura monetæ prædictæ, solvere &
 supportare oporteret, de bonis suis propriis solvant & suppor-
 tent, ac quod ipsi, de ipsorum custibus & expensis, faciant, &
 de novo ædificent, infra præinctum castrum nostri *Baionæ,* domos,
 ac omnia alia, pro factura monetæ prædictæ ibidem necessaria,
 ac etiam quod prædicti, major, burgenfes, & communitas, per
 suum sufficientem procuratorem, de omni eo, quod virtute præ-
 sentis concessionis nostræ de exitibus, proficuis, & commodita-
 tibus prædictis levabunt & colligent, ac etiam de omni eo, quod
 de eisdem exitibus, proficuis, & commoditatibus, super fortifi-
 cationem ejusdem civitatis nostræ, exponi & applicari faciant,
 debitum & legalem computum, ad scaccarium nostrum *Burde-*
galiæ, reddent, quotiens & quando ad hoc, ex parte nostra,
 debite fuerint requisiti. In cujus, &c. Teste *Humfrido* duce
Gloucestræ custode *Angliæ* apud *Westmonasterium* quarto die
 decembris. Per breve de privato sigillo.

RYMER, tom. 10. p. 498.